

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 4: De aliis virtutibus Caput 26: De honestate vite (1)

Honestum est quod sua virtute nos allicit, ut dicit philosophus,  
et sua dignitate nos trahit.

nam est quiddam, quod sua vi nos adliciat ad sese,  
non emolumento captans aliquo, sed trahens sua dignitate,  
quod genus virtus, scientia, veritas.

Marcus Tullius Cicero, *Rhetorici libri duo de inuentione*, 2.52.157  
(E. Stroebel ed., p.146, ll.20-23).

Honestas enim attenditur in conversatione,  
conversatio autem ut honesta sit, oportet quod sit verecunda,

[fons nondum repertus]

quia secundum quod dicit beatus Bernardus:  
Verecundia est in verbo et gestu honestatem servare.

Verecundia est in gestu et uerbo honestatem seruare.

Pseudo-Guillemus de Conchis, *Moralium dogma philosophorum*,  
I.D.2 (J. Holmberg ed., p.48, l.13).

Verecundia spiritualis est gloria continentie,  
fame custos, vite decus, virtutis sedes.

Ita expunctrix malorum et propugnatrix puritatis innatae,  
specialis gloria conscientiae est,  
famae custos, vitae decus, virtutis sedes,  
virtutum primitiae, naturae laus et insigne totius honesti.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Cantica canticorum*,  
86.1 (SBO 2, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.317,  
ll.22-24).